



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ  
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

**Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz**

**Nevhsii, 1706**

**VD18 10502327**

Titulus XI. De Communionem & Orationibus post Communionem dicendis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

## TITULUS XI.

## De Communionem et Orationibus post Communionem dicendis.

N. 3. **P**ost Sacerdotis purificationem, *Diaconus* defert librum *Missalis* ad cornu *Epistolæ*, *Subdiaconus* verò parvum velum quo Calix tegitur, quod *Verficularius* de credentia acceptum ei tradit, cum palla manu dextra, & parvo cochleari, sinistra portans, vadit ad cornu *Evangelij*: taliter: ut uterque simul cruci inclinaret, uterque simul se vertat, *Diaconus* à sinistra ad dexteram suam, *Subdiaconus* à dextra ad sinistram, & simul uterque descendat, *Subdiaconus* usque ad planum *Capellæ*, *Diaconus* vero transeat per primum vel secundum altaris gradum, & neque in medio, neque dum pervenerint respectivè ad cornu *Epistolæ* vel *Evangelij* iterum inclinant: sed *Diaconus* collocato libro in altari, facta inclinatione cruci, vadit retro post *Celebrantem*, *Subdiaconus* vero, in cornu *Evangelij* calicem mundat, aptat cum purificatorio, patena & palla cooperit, plicat corporale, reponit in bursam, & illam ponit super calicem coopertum velo: quem collocat in altari, vel super credentia: postea redit ad locum suum retro post *Diaconum*, ubi manet dum dicuntur *Orationes*. Si plures sint dicendæ, *Diaconus* prævia inclinatione, ascendit, folia vertit, illaque *Celebranti* monstrat. *Dicitis* *Orationibus*, *Diaconus* claudit librum, sic ut pars quæ clauditur, respiciat dexteram cludentis, nisi ex eo legendum sit secundum *Evangelium*, tunc enim *Subdiaconus* transfert librum ad cornu *Evangelij*.

*Ibid.* *Diaconus*: cum dicit *ITE MISSA EST*, cum *Celebrante* se vertit ad populum, & postquam illud dixerit, redit eodem modo quo *Celebrans*, & una cum eo, adeoque advertat *Celebrans*, ne se vertat ad altare antequam *Diaconus* absolverit *ITE MISSA EST*, nam ipse per *Diaconum* populum alloquitur. *Diaconus* cantando *ITE MISSA EST*,

stet junctis manibus in medio altaris, sicut & Celebrans stat in medio altaris. Si vero Venerabile Sacramentum fuerit expositum, uterque stet parum versus cornu Evangelii ut suo loco dicitur.

Ibid. In Quadragesima dicto per Celebrantem OREMUS pro oratione super populum Diaconus in cornu Epistolae stans, sine reverentia vertit se ad populum, per latus dextrum, hoc est, movet se à dextro ad sinistram, ne tergavertat cruci aut Sacramento si foret expositum, & junctis manibus ac demissis ad terram oculis cantat HUMILIATE CAPITA VESTRA DEO. Quo dicto vertit se per eandem viam versus altare à tergo celebrantis, & Celebrans dicit Orationem super populum, qua conclusa cum Ministris vadit ad medium altaris, ibidemque osculato altari & salutato populo facit ut supra.

## TITULUS XII.

### *De Benedictione in fine Missae, et Evangelio S. Joannis.*

N. 7. **I**N Missa solemni Celebrans eadem voce & modo quo in Missis privatis benedicit populo. Ad quam benedictionem Diaconus & Subdiaconus super secundum altaris gradum & à se aliquantulum distantes, inferiores Ministri in locis suis genuflectunt, idem faciunt qui sunt in choro uno genu. Quod si ante se & à tergo circumstantes habeat, puta Clerum retro & populum ante altare, nihilominus tamen semel benedicere debet manu conversa ad eos qui sunt ante altare intentione directa ad omnes. Versicularii recipiunt sua candelabra & hinc inde dum legitur Evangelium assistunt: ad ET VERBUM CARO FACTUM EST: Celebrans versus cornu Evangelii, reliqui etiam qui sunt in choro versus altare genuflectunt.

Lecto Evangelio redeunt ad medium altaris, Diaconus & Subdiaconus in 2do altaris gradu, & facta ab omnibus cruci inclinatione, dum Sacerdos descendit ad 2dum gradum, ipsi facie versus Celebrantem

tem